N. 13

Gratiam, et pacem per Christum. Cum tua charitas, non possit me habere
presentem dignissime Jacobe, cuius tamen presentia nonnunquam es delec
tatus, sicut et ego tua semper; hoc saltem efficere conabor, ut
semper ob oculos habeas vivacissimas quasdam imagines mei, hoc
est, meas schedas, atque chartas, sibi ut opinor et spero, vir
mei, gratas et acceptas. Et priusquam ad rem veniam,
prius meę ignavię et negligentię culpam deprecabor. Nam ubi
sub noctem ultimas literas satis obiter pinxissem, reposui
eas, ventura luce relegendas, atque corrigendas, memini enim
in eis ~~esse~~ quędam errata. Verum, ubi altius, et longius solito
obdormieram, natura exhausta, optante somno, et mane sub
horam septimam habenda esset theologorum collocutio, et nuncius
ad iter festinaret, repente non relectas literas, annulo meo
obsignavi. At obsignatis illis, memini me inter scribendum
bis vel ter errasse. Nam in principio literarum si recte me
mini, scripsi Letra(?), ubi debuissem scripsisse sicut, ~~dam~~ periculo
sit incommodi et labori. Alia errata exciderunt. Quare precor ut
meam ruditatem aut potius negligentiam boni consulas, deinde
quod summopere precor, talia errata tute ipse corrigas, antequam
alijs meas literas prelegas, aut communices, id quod pro tua
integritate, et iam te fecisse, et semper facturum, mihi certo
persuadeo. Ad rem. De conventu nondum habeo quod scribam
quia hactenus non sunt inchoatę disputationes, cum antagonistis Expectatur
Granvelus, qui dicitur futura dum(?) adventurus, quem sperant
fore pacificatorem. Noster philippus propugnaculum ecclesię, et
antistes omnis eruditionis, qui alacri et forti est animo, amanter
et placidissime me excepit, et familiariter mihi colloquitur
is inter alia verba, semel meminit discipuli cuiusdam sui
qui cum granvello venturus est; se ab eodem discipulo, epistola
quadam admonitum, ut in hoc negotio suo, moderatius
agat, alioquin, Caesari fore facillimum, paucis scholasticis (sic
eos appellant philippum, osiandrum, brentium, bucerum, etc.) devellatis(?)
pacem facere in germania. Decima novembris, sub vespe
ram, orta est in templo maiori huius urbis, per orationem
quandam concertatio inter Jacobum Sturmium oris eloquentię, erudi

Historia de Eccio(?) et Sturmio

bonis et modestis viris, cum mei amantes, et Eccius, in quo
Eccius visus est non hominis, sed furiosum rabulam agere
et totus furere, suo more. Et res sic accidit, ut vela...
Eccius, ut est gloriosus, ebriosus, fornicarius, stultus, Stur...
prius compatriota aggressus dixit Ah, domine Jacobe,
sumus amplius boni socii, ut olim fuimus Sturmius.
Eramus inquit olim, verum nunc nimis procul, animi
alter ab altero disiuncti sumus Eccius. Cuius hoc culpa
factum? nonne vestra. Vos desciscitis ab Ecclesia, et a no...
recessistis, quoniam non eratis ex nobis. Ego vero mansi in
ovili Stur. Miserandum ovile, in quo vos mansistis. Vos
recessistis a veritate doctrinae, et Ecclesiae apostolicae, atque
ideo primi secessionem fecistis, non nos, qui in Ecclesia
tolerum et Evangelii veritate manere cupimus. Eccius
Ita vobis persuadent homines vilissimi. Stur. Legi veterum
scripta. nostri mihi persuaserunt per scripturas, quod si vos ho...
potuissetis, accessissem vobis. Eccius non hoc est. Habuisses olim
gratias expectativas, quarundam prebendarum, quibus quia pri...
estis, facti estis osores cleri. Sturmius contra negabat, inquiens si
voluissem inquiens, potuissem sane opimas habere preben...
Eccius Quid facietis cum istis nihili hominibus, quos huc
adduxistis. Ego unus disputabo cum omnibus, et ita convin...
ut me hiscere quidem possint. Quod si vos et alios ista...
similes vobis possemus ad nos retrahere, quam facile
istos nebulones abigeremus Sturmius clamoribus vide...
convicijs poteritis aliquid, Verum, solidis argumentis non
Eccius Quid? An non agnoscis me quis sim? An non le...
disputationes meas lipsicae etc. Nondum cognoscitis me. Stur.
Scio te esse virum magnae memoriae. Eccius Vide, vide, non
tribuunt mihi nisi memoriam. An non et doctrinam? Stur.
probe Stur: et multam lectionem, et pleraque egregia dona, Verum
quod illis non es melius usus, laudare in te non possum, Ei...
aliquid, si voluisses illis pro veritate uti. Eccius Quales
quaeso habetis hic Theologos, Apostatas, scortatores. non coniuga...
Stur Utique coniuges, quod honestius illis est, quam si scor...
tores essent, qualem ego te semper novi, et nemo tam ignor...
Eccius. Videbitis quos habeatis theologos. probe confundemini.

Alius quidam qui aderat, et ipse dicebat Ego puto esse pugnas verborum
non rerum. Eccius Ita profecto, est enim mera logomachia Stur Ego
vero non sentio esse verborum pugnam, sed esse pugnam omnium gra-
uissimam, de re ad salutem necessaria, quam vos corrupistis
et conscientias mortalium, vestris figmentis seduxistis. Eccius
Quid est, quod vestri dicunt sola fides, sola fides. Ubi hoc
didicerunt nebulones isti, quamvis lutherus iam iam repetit de
fide et operibus, aliquid aliter loqui Stur Cur ergo non obser-
vatis quae ille scripsit Eccius Ego, desererem ab ipso, Ich
wolde dat ime gades moder mit suwen gelove schende.
Ich wolt dat inw gades worden, und juwen apostaten
schenden. Wen sy nicht werden mit in mynem gelove stervn
so werdt sy in den duvel hen varen. Stur Video te com-
moti, et immodestum Eccius Vester lutherus quam ille modestus est
Stur In summa ut tandem dissolvamur, et concludamus Ego
optarem parti vestrae, ut non haberet alios theologos modestiores
quam tu sis, non dubito quin facile vinceremus.
En habes doctissime Jacobe lepidam et iucundam collocutionem, in
qua vides pro tuo ingenio sagaci et nobili, duorum deorum
dona in suis vasis. Magnam modestiam, eruditam facundiam,
et facundam eruditionem, quae veri dei dona sunt in
Stirmio At in alio, miram inscitiam, impudentiam, et
ineruditam atque immodestam elocutionem, quae dona sunt dei
papae. Idem Eccius Augustae in delectu eruditorum, et principum,
nostros deridendo dicebat, latt vns dat Sola thom Schomaker
schicken. O serium theologo dignum in re sancta. Feria 2 post
Martini vocavit me ad prandium ob tui gratiam prius ille
doctor Wenceslaus, quem tuo nomine amanter et reverenter
ante salutaveram. Fuerunt una mecum eo mensa, doctor Osiander
vir gravis ingenio, eruditione, loquela, atque moribus, et placidus
ille Joannes brentius, qui me amanter excepit. Ibi proposui
illa, quorum me voluisti meminisse, nempe de gradibus matri-
monialibus, de usuris, de ecclesiastica excommunicatione, de illis
evangelicis, qui contemnunt aut negligunt ecclesiastica ministeria
et usum synaxeos, de quibus coram, volente deo. Nunc nulli
scribo praeter te, ne uxori quidem meae quater scripsi, tu
eris mihi mea epistola, et pedagogus filiorum. Et salutabis
valde reverenter ex me, meam, tuam, lyddiam nostram auriscalcum
eius sororem, Jacobum secretarium meos. Sodalicos. Dicito anthonio
meo ut habeat singularem curam pro meis duobus Milites saluta-
bis omnes meos, et consules meos ob quam peregrinamur amicos.
Norimbergae 18 novembris Anno 40

Fac ut quam primum habeam ex omnibus — Tuus amsterdamus
vobis multas literas, praesertim ex te ipso
et ditmaro, Scribo pro Wenceslao, ipse omnia respondebit ut in ordinaria

Omnis eruditionis, pietatis, et
doctrinę antistiti, domino
Jacobo preposito, Bremensis
Ecclesię superintendenti, dno
et maiori suo, ex corde dilecto.

Tho bremen an heer Jacob, de överste
prediger